



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XIII. Ad hæc.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## CAPITULUM XIII.

Ad hæc.

## PARAPHRASIS.

A recta ratione alienum est, quòd unus Clericus, seu in una, seu in diversis Ecclesijs, plures dignitates, vel personatus obtineat, cum singula officia in Ecclesijs assiduitatem personarum postulent.

Notandum. Nullus Clericus duas simul Ecclesiasticas dignitates aut personatus obtinere potest. Excipe, nisi à Sede Apostolica dispensationem ex justa causa datam habeat. *c. de multa 28. hoc. tit.*

## CAPITULUM XIV.

Præterea.

## PARAPHRASIS.

G. Clericus in duabus Ecclesijs Burdegalesi, & Tolosana Archidiaconus constitutus fuit, & obedientiam in utraque Ecclesia canonicè professus. Sed Alex. III. mandat, ut uno, quem maluerit, Archidiaconatu contentus, alterum resignet. Ita existimo intelligendum esse hoc capitulum, ut sermo sit non de regulari Canonico, sed de Clerico sæculari, qui super Archidiaconatu institutionem, aut investituram accipiens, Episcopo obedientiam jurare debet. *c. 3. de majoritate.*

Notandum. Qui duas dignitates, aut beneficia curata consecutus fuit, olim cogebatur alterum, quòd maluerit, resignare: sed hodie beneficium prius obtentum ipso jure vacat, ita ut retineri amplius non possit. *c. de multa. 28. hoc. tit. & Extrar. Excerabilis de præbendis, & dixi in c. 3. de Clericis non residentiibus.*

## CAPITULUM XV.

Cum non ignores.

## PARAPHRASIS.

Sacerdos quidam in una Ecclesia intitultus, ab Archipresbytero, seu Decano, &

Clericis alterius Ecclesiæ electus etiam fuit, ea propter opposuerunt se huic electioni alterius Ecclesiæ Clerici, ad Sedem Apostolicam causam deferentes; quòd etiam dictus Sacerdos nuntium destinavit. Alex. III. hic scribit ad Archiepiscopum Genuensem, indignum esse, & Canonibus contrarium, si uni personæ in duabus Ecclesijs locus detur, & ideò mandat, ut Presbyterum illum suo, quòd prius habuit, beneficio contentum esse, faciat; tamen verò alterius Ecclesiæ Archipresbyter, & Clerici, in illum antea consenserint, quia tamen jam dissentiant, non decet, ut cum ipsorum scandalo in eadem Ecclesia recipiatur.

## SUMMARIUM.

*Spektato jure communi Canonico, non potest aliquis in duabus Ecclesijs esse intitultus, ita ut Electores, si resciant, quòd eligendus aliud beneficium habet, quòd dimittere nolit, possint à sua electione recedere.*

Notandum. Spektato communi Jure Canonico, non potest aliquis in duabus Ecclesijs esse intitultus, idque propter residentiam, & assidui servitij obligationem, sicuti dixi in *c. 3. tit. preced. & c. quias. hoc. tit.* Quæstio est, si Capitulum Clericum beneficiarium, seu habentem jam beneficium, eligat ad aliud beneficium, quæ simul teneri non possunt, num subsistat electio, an verò electores recedere possint. Resp. cum Innocent. in *c. ult. tit. precedentis. Abb. hic. n. 8.* Vel electores sciunt, quòd electus aliud beneficium tunc possideat, vel nesciunt: hoc secundo casu recedere possunt ab electione, si electus prius beneficium dimittere nolit, quia præsumendum est, quòd electionem facere voluerint, conformiter juri communi aut statuto suo: in primo autem casu iterum distinguendum, num beneficium secundum sit multò melius, ita ut electus ascendere, seu promoveri censeatur, tunc censeatur fieri electio